

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Pontificis Romani Leonis decimi Literae indulgentiarum per Albertum electorem & Archi-Episcopum Magdeburgensem

Leo <X., Papst>

Gryphiswaldiae, [circa 1680]

Annotationes

[urn:nbn:de:bsz:31-67688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67688)

ANNOTATIONES.

(a) ALBERTUS *Archi-Episcopus Magdeburgensis & Moguntinus, nec non Administrator Halberstadenſis, &c.* Non opponimus unius Personæ, tot muneribus, tamq̃ magnis præficiendæ insufficientiam. Hoc tantum quærimus, quomodo conveniat tot *Archi-Episcopatum & Episcopatum administratio*, cum falsa quidem, sed tamen *Papistica* explicatione loci Paulini 1. *Tim. III. 2. Episcopus unus sit conjugis Maritus.* h. e. Unum habeat Episcopatum. ? Ita enim CALIXTUS *Tomo I. Concil. Ep. 2.* hæc verba exponit, & multi adhuc hodie cum ipso: *Episcopum non debere, nisi unius Ecclesie maritum & gubernatorem esse.* Vid. hic multum de sensu loci disputantes ESTIUS *in h. l. Corn. à LAP. in h. l.*

(b) LEO X. audit hic *Sanctissimus.* Erat vero revera *Aibens.* Et sic *Sanctissimus*, ut *Sanctissimus Cynædus.* Cum Cardinalis BEMBUS sermonem cum Leone misceret, provocaretq̃ ad quendam ex Evangelista locum, subjecit hic: *Quantum nobis profuit fabula de Christo!* NIGRINUS de eo testatur, *nec cælum ipsum credidisse, nec infernum*, vixisse cum Epicuri de grege Porcis, nec aliter esse mortuum. Plurima de pessima ejus vita recitat Paulus LANGIUS, *Monachus Misnicus*, qui Lutheri tempore vixit, *in Chronico Zizenſi.* Nos ea tantum excerpimus, quæ ad *Indulgentiarum* spectant negotium. *Triginta creasse Cardinales una Sessione* refert, à quibus acceperit 500000. numos aureos, quos *Ducatos* vocamus, quorum tamen promiserit *restitutionem certissimam.* Cum vero de *Patrimonio Petri* commode tantam non posset restituere summam, nec tamen defraudare vellet *Cardinales*, hunc excogitasse dolum vel fraudem. Scilicet in omnes ferme *Mundi partes* emisisse *Indulgentiarum nundinatores*, sub prætextu suscipiendi contra *Turcas* belli. *Corrasam* vero per *Indulgentiales literas pecunie summam*, inter creditores *Cardinales* distributam. *Germanos* vero ita circumvenisse; *fixisse Templi Petri in Urbe susceptam structuram magnificam*, quamvis Papa JULIUS jamtum hoc susceperit negotium, atq̃ ingentem *Theſaurum*, eo fine collectum, reliquerit. *Reparationem tamen istam frigide tractatam ac tandem intermissam.* *Germanorum* vero aureos *Indulgentiarum literis corrasos*, *Nepotibus Pontificiis atq̃ Cardinalibus creditoribus distributos.* Ita *Nepotes* ditarunt **PECCATA GERMANORUM,**

RUM. Nec faciunt ad Pontificis hujus laudes, quæ PETRUS SVAVIS Polanus in *Concil. Tridentini Historia* commemorat. Recens vero hujus Concilii scriptor Cardinalis PALLAVICINI paucis ad hanc rem: *Si Theologis advenisset, (LEO X.) certius profecto in distributione Indulgentiarum consilio eorum se gessisset.* Videatur pluribus B. D. A. REISERUS in *Roma non gloriosa*.

(c) Notanda sunt verba; *Ultra plenissimas Indulgentias ac alias gratias & facultates, quas Christi fideles ipsi obtinere possunt.* Christi fideles sunt meritum Christi fide apprehendentes &c. Hi vero plenam habent Peccatorum remissionem, &c. Cui ergo bono stultæ hæ indulgentiæ? Non certe alio, quam ut ludantur miseri, multentur Pecunia, & à Romani Pontificis Parasitis irrideantur.

(d) Conceditur Licentia eligendi Confessionarium Presbyterum secularem, vel cujusvis, etiam Mendicantiam ordinis regularem. Quod nunquam, extra has nundinationes, prohibitum. Magna ergo Licentia! Ingens beneficium!

(e) Conceditur tamen absolutio, etiam in Casibus sedis Apostolicæ reservatis. Cujus vero Autoritate reservati? DEI? Minime. Ipsi Pontificis. Hic enim præter & contra & supra DEUM agit. Potestatem reservandi Casus Ecclesiam habere D. Petrus à S. JOSEPHO Fulicis in *Summis Casibus Conscient. P. II. Opusc. II. Cap. I. Artic. V. p. 109.* probare conatur, sed non nisi ex Concilio Tridentino *Sess. XIV. Cap. VII. & Can. XI.* Casus vero reservatos recenset prolixè *ibid. Opusc. III. Cap. III. per tot.* quorum magna est copia. Vide etiam Genesii MINUCII Florentini à Rada, Ordinis Vallis umbrosæ *Compend. summa Cardin. TOLETI p. 40. seqq.*

(f) Sicut Finis Papatus & Scopus consistit in *Honore & Divitiis*, ita etiam Casus reservati huc spectant, ut vel ex hac enumeratione Casuum exceptorum, ad quos Indulgentiæ hæ se non extendunt, patet, quales sunt; *Machinatio in Personam Pontificis, Offensio Episcoporum, aut aliorum superiorum Prælatorum &c. Falsificatio Litterarum Apostolicarum.* Ad divitias spectat sequens Casus.

(g) *Alumen delatum ex partibus infidelium ad fideles.* Idque in his literis, *Sententiarum ac Censurarum occasione Aluminis Tulsæ Apostolicæ &c.* Scil. Inter reservatos casus est & hic, & quidem, *extra Corpus Juris Canonici & Bullam Cene summo Pontifici reservatos, quos recenset dictus*

set dictus à S. JOSEPHO l. c. art. VI. p. 234. & hunc quidem p. 238. *Vigesima quarta* (excommunicatio) contra deferentes alumina ex terris infidelium, ad partes Catholicorum, vel facientes adduci, vel adducta vendentes, vel ementes, vel operam suam in eis impendentes, seu in eis laborantes, vel in eis se immiscentes, asscurando naues, & alumina quæ navibus advehuntur. Quare vero hi excommunicati? Quia sic aliquid decederet redditibus Apostolicis ex Alumine Tulsæ Apostolicæ. Hæc ut intelligantur rectius, notandum, Alumen quondam tantum in Asia paratum, & inde in Europam, magno cum Asiaticorum infidelium lucro, translatum. Optimum vero & primum in Europa confectum, Alumen Rochæ, in agro Romano prope Tolsam ex cremato lapide, idè tempore PII SECUNDI Rom. Pontif. qui olim ÆNEAS dictus SYLVIUS, Creatus Papa Anno 1458. 1. Sept. mortuus Anno 1464. 16. Augusti. Et quidem hac occasione. Nobilis Vir Tolsensis, cum mancipium coemisset in alumine conficiendo multo tempore in Asia exercitatum; hoc quodam die, cum Saxorum qualitatem intimius examinaret, atque aluminis præstantissimæ succo refertos cognosceret, quanta inde emolumenta trahi possint, non ignorans, ita Herum suum affatus dicitur: Si mihi libertatem dederis, Domine mi, ego tibi Thesaurum, quo, divitiarum copia, omnem felicitatem consequeris, ostendam. Anonitus ad hæc Herus, cum, quidnam hisce verbis portenderet, sciscitaretur; respondit: se prædium alumina venam detexisse, & hunc promissum thesaurum esse, quo dum viveret bearetur. Herus magna aviditate stimulatus, ut rei promissæ periculum aliquod faceret, serio commendavit, quod & præstitit; nam nobilissimum ex paucis lapidibus, juxta artis suæ regulas, alumen educens, quo mirum in modum ad majus quoddam movendum stimulatus, primus omnium Aluminares Officinas condidit, eo emolumento, quo univèrsa Europa in hucusque diem fruitur. Ita Athan. KIRCHER. refert Tomo I. Mundi subterranei p. 313. Dicuntur hæc officinæ Apostolicæ, cum ad Romanum Pontificem spectent. Tolsa enim, in his literis Tulsæ dicta, oppidum est territorii S. Petri, septimo miliari Germanico à Roma, ad littus maris distans, versus occidentem. Reditus æstimari possunt ex Relatione Autoris Appendicis Georgii VAVCHOPII Scoti de Magistrat. Vet. Pop. Rom. n. III. de Redditibus Rom. Pontificis p. 325. Tolsanæ aluminis fodinæ elocata olim fuerunt

fuertunt Domino Tobie Pallavicino pro 64500. coronatis annuis; de quibus ipsis operariis cedunt coronati 36500. reliquum Montistia atq; aliis, præter regalia Dominorum Cameralium. Martin. RULANDUS in Lexico Alchemie p. 34. legit Alumen de Tolpha. Non tamen hac tantum officina Tolfensi Europa gaudet. Plures sunt in Italia, in Anglia, in Scania tribus ab Ysted miliaribus, ubi pari modo è Saxis crematis alumen paratur excellentissimum. In Germania item. In Lapponia Alumen invenitur fossile, sine omni arte à natura confectum.

(b) Pœnitentiam salutarem, non ut eam Orthodoxi intelligunt; Sed tertiam Pœnitentia Papistica partem intelligit; Satisfactionem operis.

(i) Hic iterum excipiuntur ad divitias facientia. Religionem enim, ut vocant, ingredientes, bona sua Monasterio inferunt; Loca Sancta visitantes pecuniam impendunt.

(k) Si vere fideles in charitate discesserunt, non indigent his Indulgentiis. Si infideles fuere, ex inferno nulla liberatio. Purgatorium enim nunc cum inferno idem.

B. LUTHERUS eodem anno, ALBERTO Electori literas dedit & Propositiones de Indulgentiis, Festo omnium Sanctorum Templo arcis Wittenbergæ affixas, misit, quas vide Tom. I. Op. Luth. Jansenii fol. 8. n. Spiritus primus in die ANNO XX. alias ad eundem misit; Tomo eodem, fol. 214. b. ad quas gratiose satis respondit d. 25. Febr. Calbæ. Ibid. fol. 220.

Has tibi L. B. communicare voluimus literas, ex Originali, ut vocant, descriptas, quod in Musæo meo asservo, cum hisce diebus Martini LUTHERI celebraverimus Festum, non sine Indulgentiarum publica commemoratione, ut, quibus tales visæ non sunt, Indulgentiarum innotescat stultitia & vanitas.

Vale & his fruire feliciter.

